

In hac consiliorum ambiguitate nihil eorum, quæ ad bellum gerendum necessaria, aut opportuna forent, intermittebatur: in navalibus die, noctuque farciendis, aut exædificandis triremibus, aliisque navigiis assidua cura adhibebatur: panis nauticus cum Venetiis, tum in continentis urbibus conficiebatur; Placidus Ragazzonius Messanam missus, ut frumenta, ac commeatus in Sicilia curaret: Antonius Canalius legatus, qui jam magistratu functus fuerat, subsistere in classe iussus: ut Zacharias Salomonius, summum imperium in Epiro obtinens, Jacobique Celsii excessu in classis legatione suffectus, iis in locis, ob egregiam, quam Reipublicæ navabat operam, moreretur, decretum. Jacobus vero Foscarenus in Illyricum ad munus sibi antea delatum obeundum proficiscitur: Aloysius Georgius cum summo imperio Corcyram contendit: Marinus Caballius Laurentio Amulio in Cretæ administratione sufficitur. Milites, qui subsidio in Cretam, atque in regiones maritimas mitterentur, summo undique studio conquisiti: quæ in re ingentes sese difficultates objecere, pestilentia vi, quæ superiori anno in classem se se diffuderat, tantamque stragem ediderat, mortalibus perterrefactis. Inter hæc denuo inter Pium, ac Maximilianum ex Cosmi titulis diffidia suboriebantur, cum Cæsar injuriam, quam sibi a Pontifice illatam rebatur, depellere ex animo nequiret. Huc accedebat, quod Galliarum Regis parentem imperio ac beneficiarium quemdam religionis causa carceri Pius mancipaverat; neque per nobilem e suis Romam missum ejus liberationem petenti, obsequi voluerat; quibus acciderat, ut, ne quidpiam in se hostile Reges molirentur, veritus, e suis ditionibus neminem in aliorum Principum militiam adscribi, edicto vetuisset.

His de causis cum Patrum animi summopere angerentur, atque si latius dissensiones serperent, magnam Reipublicæ portendi jacturam animadverterent, Joannem Formentum, Senatus scribam, Romam mittere constituunt, qui Pium roget: *Ne turbulentis hisce temporibus statuere aliquid præpropere velit: ea sibi animo subjiciat, quæ cunctis incommoda imminerent, si arma adversus communem hostem stringenda, ad christianæ reipublicæ corpus lacerandum converterentur: nonnihil temporum conditionibus concederet; aliquid tot calamitatibus,*

H. Mauroceni T. II.

2 3

qui-

1571

*Venorum
sedulitas ad
bellicos ap-
paratus in-
struendos.*

*Zacharias
Salomonius
in Epiro le-
gatus.*

*Aloysius
Georgius in
Corcyram;
Marinus
Caballius
in Cretam
legati mit-
tuntur.*

*Pii Pont.
cum Cæsare
et Gallie
Rege diffi-
dia.*

*Senatus cum
Pontifice de
concordia
officia.*